

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Meditationum evangelicarum volumen tripartitum

Creidius, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De tertio

[urn:nbn:de:bsz:31-122776](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122776)

fideles operarios posthac semper in messem suam extrudat, & à luporum vehementia gregem suum tueatur, Matth. 9. v. 38.

5. *Ostiarium reuerentes.* Ostiarius est Sp. S. ut supra diximus. Hunc omnes veri Christiani sibi exorent cum Davide Ps. 51. v. 10. 12. ut cor aperiat, quando verbum Dei in templo audiunt, & deinde etiam occludat, ne thesaurus verbi divini à Diabolo auferatur, Matt. 13. v. 19. abq; hoc ostiario mortui sumus in peccatis, Eph. 2. v. 5.

De Tertio.

Restat ut consideremus etiam *beneficia divina, quæ talibus à Christo oviculis parata sunt.* Si quis enim per me introierit, inquit Christus, servabitur, & ingredietur, & pascua inveniet. Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.

Tria his verbis beneficia Christus enumerat, quæ genuinas ipsius oviculas sequuntur:

1. *Beatitudo temporalis.* Nam ingredientur, inquit Christus, & egredientur, quibus verbis benedictionem divinam promittit omnibus, qui opera vocationis secundum normam verbi sui perficiunt, sicut Petrus, cum in verbo Christi laxaret rete suum, copiosam piscium multitudinem conclusit, Luc. 5. v. 6. ita Moses hac phrasi utitur, Deut. 28. v. 6.

2. *Beatitudo spiritualis.* Nam pascua invenient, inquit Christus, nimirum pascua

gratiæ, pascua ille bona & pingua montium Israel, Ezech. 34. v. 14. in quibus exhibetur nobis cibus immortalitatis, panis vitæ, quo animam nostram variis peccatorum angustis exagitatam reficere possumus, Joh. 6. v. 50.

3. *Beatitudo æternalis.* Qui per me introverit, salvus erit. Ego enim veni, inquit Christus, ut vitam habeant, & abundantius habeant. In Christo habemus remissionem peccatorum, quæ instar nubis & nebulae delevit, Es. 44. vers. 22. Lex non potest nos condemnare, Christus enim est finis legis ad salutem omni credenti, Rom. 10. v. 4. non sumus jam sub lege, sed sub gratia, Rom. 6. vers. 14. Diabolus non potest nobis nocere, quia pro nobis est Christus, qui opera Diaboli destruxit, 1. Joh. 3. v. 8. Mors non potest nos abolere, sed januam vitæ aperit, Johan. 5. v. 24. Infernus non potest nos absorbere, nihil enim condemnationis in his qui in Christo Iesu sunt, Rom. 8. v. 1. In summa, pacem habes cum Deo, fide iustificatus per Jesum Christum, Rom. 5. v. 1. quis igitur separabit te à charitate Dei? Rom. 8. v. 35. vitam habebis, hoc certò tibi persuadere, & plenam abundantiam in sempiterna secula. Nam oves mee, inquit Christus, vocem meam audiunt, & ego do eis vitam æternam. Nemo rapiet eas de manu mea, &c. Joh. 10. v. 27. 28. Hanc beatitudinem concedat nobis SS. Trinitas,
Amen.

In Festo Trinitatis

Evangelium Johan. 3. vers. 1. 15.

EZechiel Propheta apparuit olim vir in visione quadam, & ostendit ipsi aquas,

quæ subter limen templi ingrediebantur. Primò metiebatur funiculo, quem in manu
Z
habe-